

Minime enim hic, quod putat, duarum negationum iunctarum ea vis est, ut adfirment, quasi dixisset Imperator: perceptorum autem omnino ratio habenda est. Minime enim hanc aduersandi & opponendi vim habet particula *neque*, & omnis contextus docet, fructus *non perceptos* hic esse, quos ante dixerat, *quos culpa sua possessor non percepit*, percipiendos in scholis vocant, hoc sensu: si vero bona fide possessor fuerit, non habetur ratio consumtorum, neque eorum, quos non percepit, potuisset tamen percipere, si debitam diligentiam adhibuisset.

CONCLVSI O.

Hic autem subsistamus, & quartum caput, quod iungi poterat, de ratione disparitatis inter usufructuarium & bonae fidei possessorem in perceptione fructuum, cuius meminerunt & IULIANVS ^{a)} & PAVLVS, ^{b)} aut in aliud tempus

^{a)} in L. 25. §. 1. D. *de usuris*, ^{b)} qui in L. 48. pr. D. *de acquir. verbis*: *Fructuarii quidem non sunt* *rer. domin.* *denique inquit, etiam* (*fructus*) *antequam ab eo percipiuntur, ad bonae fidei autem possessorem* *pertinent, quoquomodo a solo separati fuerint, sicut eius, qui vectigalem fundum habet, fructus sunt, simul atque solo separati sunt.*

priusquam percipiat, statim, ubi a solo separati sunt, (fructus) bonae fidei emoris sunt. Adde L. 13. in f. D. quibus modis ususfr. vel usus amitt.